



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Iani Gvlielmi Verisimilivm Libri Tres**

**Gulielmus, Janus**

**Antverpiae, M. D. LXXXII.**

Cap. XV. Varronis duo fragmenta composita. eiusdem Medij argumentum,  
& indidem sententia adducta expressa de Plauto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70877](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70877)

habeant non eas aduertere iubet, sed animum, quod  
penitèret verborum antecedentium. Itaque videtur  
verius sit:

*Aures votita si sunt animum aduertite.*

Votitus qui voto quo minus quid faciat impedire  
Asinaria:

*Nolo habere illam causam & votitam dicere.*

Lepidè igitur histrio: si, inquit, voto tenemini  
minus auribus mea dicta vsurpetis, at vos animum  
vsurpate. Lusit nimirum in eo, quod immobilis  
mini natura aures dedit, vt ex aduerti non possint  
animum aduertere vulgatissimum loquendi genus  
hoc igitur agere eos iubet.

Eadem fabula, Scæna Si sapitis.

*Qui amat tamen hercle si esurit nullum esurit.*

Immuto leuiter, sed, quod ausim præstare, verum

*Qui amat tamen hercle et si esurit, nullus esurit.*

Tamen si probum & antiquæ notæ verbum hinc  
tmesi cum esset, propè euanuit. Id reponens  
etiam in Terentio, Andria: *Nilil audio*

*Ego te commotum reddam. DA. tamen si hoc verum*

Ira enim optimum fragmentum Colonienfe, quod  
æde maxima adseruatur. Nullus esurit, pro non  
notum loquendi genus. Pomponius: *Lapatium  
lus vescebat, lardum luscabat libens.*

#### CAPVT XV.

Varronis duo fragmenta composita. eiusdem Modij argumen-  
tum, & indidem sententia adducta expressa de Plauti

VERE hoc vulgo dicitur *ei'uar' è'nis*, merito  
doctissimi viri semper monuerunt, fugiendam in  
stutu ineptam leuitatem, in iis togatorum eruditissimorum

Varro, cuius super hac re sententiam, quæ Me-  
negris eius heferat, ex Nonij duobus locis à me com-  
positam huc adscribam:

*Non modo suris apertis, sed penè natibus apertis ambulat:  
cum etiam Thais Menandri tunicam habeat ad talos  
demissam.*

Notat schema vestitus nostro seculo non insolens:  
ubi & hoc noto, vidèri politissimum virum more  
suo alludere ad locum poëta veteris æqualis sui, cer-  
te non multo maioris Turpilij, ex cuius Demiurgo  
hec adferuntur:

*aperta sura, brachia autem procerà horrore in mihi  
Ex corde exsuscitabant.*

Verba sunt, ut apparet, puellæ fastidientis in proco  
& corpore enormi & deformi habitu. Itaq. sibi eas  
magis odio ac senio esse ait, ut ex eadem hac fabula  
ait Nonius. Eadem de causa scribserat Modium,  
quo, ut ex fragmentis intelligimus, in victu & vesti-  
tu reprehendit vtrumque τὸ πλεοντε καὶ τὸ ελαττον; pro-  
bat, id quod titulus docet, τὴν μεσότητι. Modius  
autem ipsi planè id est, quod Græcis τὸ μέσον, M. Tul-  
lii mediocritas quæ inter nimium & parum est. In  
eodem libro præter cetera memorabile illud & tam-  
quam è tripode Apollinis oraculum; non eos optumè  
vixisse, qui diutissimè vixent, sed qui modestissimè, id est  
modice. Quis verbis postremis ad Plauti, ut solet, al-  
ludit, Persa:

*Modice & modestè melius vitam vivere.*

## CAPVT XVI.

*Euripidis Medea locus emendatus, & cum simili Ciceronis  
compositus.*

EURIPIDIS Medea primore statim fabula ita

B 3 allo-